

XXI.

Bestemmelse om Gudstjenesten i Kjøbenhavn 1644.*Ved Holger Fr. Rørdam.*

Efterfølgende Bestemmelse, fattet 1644 af Præsterne i Kjøbenhavn (som det synes efter Biskop Jesp. Brochmands Opfordring) om den Tid, Gudstjenesten maatte medtage, giver et ganske godt Indblik i den Tids kirkelige Praxis i Kjøbenhavn, der ikke var saa lidt forskjellig fra vore Dages; den viser tillige, at den Kunst at holde op i Tide, som Luther anbefaler Prædikanterne, er falden den Tids Præster hel vanskelig at nemme. Stykket meddeles efter Langebeks Afskrift (Excerpter, Nr. 254 i det kgl. Bibl.).

*Synodus privata Ministerii
habita Hafniæ d. XI. Septemb. Anno MDCXLIV.*

Querela publica est, Pastores et Commiñistros ultra tempus in Ordinatione Ecclesiastica et Constitutionibus Regiis præscriptum conciones suas extendere. Quocirca ne aut edicta Regia contemnere, aut Ordinationem Ecclesiasticam, in quam juravimus, flocci facere, aut verbum divinum nimia concionum prolixitate in contemptum adducere, aut homines ab audiendo Dei verbo diffusioribus homiliis absterrere videamur, operæ esse pretium duxi (!), ut huic incommodo mature medeamur, inprimis cum Regia Majestas Episcopis hanc curam in suis constitutionibus commissam voluerit. Cæterum cum non tantum in ordinariis, sed etiam extraordinariis concionibus prolixitate peccetur, distincte indicabimus, tum quantum tempus concionibus singulis concedatur, tum qui de tempore finiendæ concionis præcones verbi divini in sacro opere attentius non raro occupatos, quam ut fluxum horæ semper observare possint, monituri sint, tum qui indicaturi sint Episcopo, si præscriptum tempus accurate non observatur, tum quæ his eroganda sit poena, qui Regiæ constitutioni non obsequuntur.

1.

Die Solis absolvetur matutina concio dato signo tertii quadrantis ad sextam, ita ut coetus hora sexta dimitti possit. Idem tempus præscriptum esto concionibus, quæ aliis septimanæ diebus a quinta in sextam habentur.

Quæ dimidia octava die solis proxime sequuntur Sacra, ita etiam temperabuntur, ut concio ipso puncto dimidiæ decimæ finiatur, quo universum auditorium, auditâ decimâ, e domo Dei junctim exire possit.

Quod etiam intellectum volumus de concionibus, quæ ordinariis precum diebus habentur. Quæ autem hora 12. die solis habetur concio, ea tertio ad primam quadrante finiatur, ita ut sacra ista ultra horam primam non extendantur.

Vespertina denique, quæ die Solis habetur, concio, tres quadrantes nunquam excedat, ipso puncto horæ tertiæ finienda, nisi forte interveniens concio funebris impediverit, quod quoties fit, toties vespertina concio intra dimidiæ horæ terminum se continebit.

2.

Conciones, quæ in Ædibus Spiritus Sancti ab omnibus omnium parochiarum Pastoribus habentur, eæ finiuntur præcise hora 7^{ma}, si initium Sacrorum est hora 6^{ta}, sin ob tenebras differuntur Sacra in primum 7^{ma} horæ quadrantem, Conciones ultra primum 8^{va} horæ quadrantem non extenduntur.

3.

In æde Divæ Virginis, quæ habentur horis antemeridianis, conciones die Mercurii finiuntur hora dimidia 8, ubi sacra ordimur 6^{ta} matutina. At ubi initium sacrorum differtur in primum quadrantem 7^{ma}, concio tertio 8^{va} horæ quadrante absolvetur.

4.

Ne moram injiciat operi sacro die solis qui organum pulsat pneumaticum, quiescet in finem sacrorum, ut tum

suam cum juventute scholastica in hymno aliquo jungat operam.

5.

Conciones funebres ultra dimidiam horam non producentur, nisi vir paulo honoratior, cuius lessio tres insumi possunt quadrantes, aut si de Republica præclare meritus sit, quippe Magistratus, integra ad summum concedi potest hora.

6.

Cum solemnitates nuptiales non raro injiciant sacris tædiosam moram, dum sponsus et sponsa suum in templum adventum nimium provehant, oportet, ut Pastores et Commistri edictum Regium secuti in sacris peragendis dispergant, non morati præposteram sponsi et sponsæ tarditatem, ita ut et concio et universa sacra, si non ipso decimæ puncto, saltem primo post decimam quadrante penitus expedita sint. Vitent vero Dni pastores prolixiora proloquia, quæ in copulatione honoratorum hominum usurpari solent, ne ista prolixitas secuturæ concioni incommodet. Porro ne nesciant sponsus et sponsa, maturandum esse ad templum accessum, moneantur huius rei auditores e cathedra sacra, et edictum Regium hac de re publice recitetur, ne, si sponsus aut sponsa adventent, postquam Pastor cathedram sacram conscenderit, ignominiam istam sibi et non Pastori imputandam sciant.

7.

Idem observetur in Baptismi administratione, cum nimis notum sit, quanta hic sæpe nectatur mora.

8.

Ædituus de temporis fluxu Pastores et Commistros monebit, ne Præco divinus sacro operi intentior tempus præscriptum transiliat. Jurabit vero Ædituus, se bona fide Episcopo indicaturum, si tempus præscriptum non servetur, et nullam in horologii directione interventuram fraudem. Quod si Ædituus hac in re aut negligens aut fraudulentus

fuerit, in jus vocetur, puniendus tanquam contumax Regiarum Constitutionum transgressor.

9.

Pastores et Comministri, qui obsequi recusant, in jus vocati punientur, præmissa legitima sententia, tanquam qui Ordinationem Ecclesiasticam et Regia edicta contemnunt.
